

Appendix ad Europa Nro. 6.

Regnum Mortuorum.

Sermones Politici mortuorum.

In Elysio 5. Januarii 1808.

Ultra Garamantas, et Indos
Proferet imperium

Virgil.

Umbrae loquentes.

Aaron Raschild — Tipoo Saib.

Tipoo. Spes forte adimplebuntur; omnia se hunc in scopum evolvunt; me urit vindictae studium.

Raschild. An generoso tuo Patri Hyder-Aly cuncta narrasti.

Tipoo. Omnes descendentes Hindi, et fideles mei nararunt ei. Studium vindictae. — Eheu cecidi victima eorum!

Raschild. An nullus heros in Asia, nullus vir fortis inter Tartaros, nullus *Sofi* in Persia, qui vindictam sumat? An tantus Anglorum numerus ad Hindum? An habent Heroem, ut erat Alexander, Tamerlan, Kulikhan, et alii? — Regio, unde Graeci scientiam adhuc ante adventum Alexandri hausserant, ubi Pithagoras trans migrationem animarum didicit immortalium, et ubi Pilpay ante 2000 annos excellentem doctrinam suam moralem in fabulis tradidit, talem inquam regionem nunc opprimunt pauci aliquot exteri; qui ex extrema Europae Insula eorsum penetrarunt? Magnus Mogolus, cui omnes Principes iavebant, evanuit; thesauri ejus in alienis manibus, Quid aliud ad haec dicere possum, quam quod Persae ignavi sint?

Tipoo. Veniet heros, qui eos ab Anglorum jugo liberabit. Persae fiunt nunc per influxum Galliae amici Russorum, quo in merito situs locales in considerationem sumendi. Hindus non ita procul ab limitibus Russiae distat, sicut commune tenet praejudicium, distantia enim est duntaxat 350 hororum. Amici mei Nabobes in India, et Dominator celebris *Tcindia*; impatientes expectant occasionem jugum Anglorum dejiciendi; 20 Millia Europaeorum doma-

bunt Anglos, praesertim si possessoria eorum ex parte Persiae adgrediantur.

Raschid. Consolationis plena verba!

Tipoo. Pax chronopolitana conjunxit Persas cum Russis, qui Persiae per Georgiam imminabant; dissensiones eorum veteres cessarunt, et Gallia eos reconciliavit. Nunc textur in Russia, sicut in Persia nova Politica; ambo imminet Orientali Indiae anglicanae, Peninsulis Asiae; Malabaricae, et Coromandiae, quae sunt praecipuae possessiones Angliae, periculum impendet; Vir quidam cordatus, qualis meus Pater *Hyder Aly* est, declarabit se ducem copiarum, et expellent Anglos his regionibus. Interim tamen manent illi Dominatores marium, et omnes alias potentias ab ingressu in Indiam per mare arcebunt; sed quamdiu hanc ludent personam?

Raschid. Nova consolatio.

Tipoo. Singulare est; quod Anglia Galliae objiciat, per eam Reges sedibus suis pulsos, et nova regna erecta esse, sed an non ipsi Angli hoc ipsum fecerunt, illo duntaxat cum discrimine, quod longe crudeliores fuerint? Argumento sum ego ipse, qui holocaustum Politicæ eorum evasi. Ego fueram in mea residentia inopinate obrutus, et in Negapatnam vita privatus; thesauri mei direpti, proles meae carceribus mancipati, et regnum meum possessionibus anglicanis conjunctum. Horrenda sors! — et hoc fecerunt Angli.

Raschid. Russi Persis juncti, possunt maxima damna hac in parte inferre; hi soli possunt mortem tuam, regnumque vindicare.

Tipoo. Hoc norunt ipsimet Angli. Narrabo, quae eorum contra Russiam moderatio; quod eatenus scribo, venit Londino 15. Decembris. — Nuncius aulicus *Regler* advenit Petropoli Londinum; et attulit Decretum, quod in sensu declarationis de 7. Novembris occupationem omnis substantiae anglicanae praecipit. Omnis connexio cum Anglia est interrupta; Omnes anglicae naves omnisque Anglorum proprietates sequestro subicitur; immobilibus tamen in eorum possessorio relictis, non tamen in hypothecari, minus in alienas manus transferri possunt; Haec est summa Decreti.

Raschid. Et qualis est forma sequestri ex parte Angliae relate ad res Russorum?

Tipoo. Usque 15. Decembris adhuc nulla ex parte Angliae contra Russiam facta belli declaratio; sed unice praecipit gubernium, ut omnes naves tam in portibus anglicis, quam in aperto mari occupentur; verum consuetum in Anglia formulare. *Naves cremare, submergere, et evertere*, non est additum, quin imo praecipitur, ut omnis cura circa earum conservationem adhibeatur.

Raschild. Unde haec dulcis complacentia?

Tipoo. Ex praeadducta causa. Interim expectantur Caleti Legati Russiae et Borussiae Londino redituri, quos aulae suae revocavit, et, prout supponere par est uno eodemque tempore Londinum deserent; imo aliqui legatos hos jam Caletum advenisse volunt.

Raschild. Cupidus expecto finem tragediae. Interea, donec hic adveniat, legamus Ephemerides; En singularem articulum Hafnia 9. Decembris. — Cum amaritudine cordis legimus mordaces reflexiones, quas temerarius quidam, contra dilectum socerum Coronae Principis nostri exteris Ephemeridibus inseri jussit, quaeve in alias quoque germanicas Ephemerides transierunt; nec tamen Authori diplomae sapientiae procurabunt. Verum est quidem, dilectum nostrum Landgrafium Carolum in Scandiniam non transivisse, sed et illud verum est, Coronae Principem dilecto suo socero facultatem hujus transitus, quam identidem petierat, firmiter denegasse.

Nobis quidem ignota sunt motiva, quae Princeps Coronae pro hac negativa habuit, asserere tamen haud dubitamus, causam principalem fuisse vacillantem hujus Principis sanitatem, quae incommoda defensiones Hafniae haud sustentatura erat; Alterum motivum fuisse haud infundate supponi potest, quod propter arctum sanguinis nexum, quem idem Princeps cum familia regia habet, et propter qualitatem unius extranei Principis, facile semet periculo subsumptionis exponere potuisset, si forte penes omnes conatus suos fatum urbis nostrae avertere non potuisset. Cum dolore praeterea intelligimus, culpam quoque in hunc Principem detorqueri, quod Hafnia necessariis defensae mediis provisae non fuerit; nam non considerato eo: nobis nullam fuisse causam inopinatam hanc invasionem vel eminens suspicandi, notum esse non deesse apud nos viros perspicaces, qui exterorum consiliis opus non habent, quive, si haec praevidere potuissent, hanc provisionem certo non neglexissent.

Biographia.

Aaron Raschild aut *Haroum*, *Al-Raschild* erat Califus 5. de stemmate Abbassidum, Coevus Caroli Quinti, non minus, quam hic, victoriosus; conscendit thronum A. 786. Erat is unum compositum ex malis bonisque qualitatibus, Princeps incompraehensibilis, generosus, magnanimis, munificus, terrore hostem, et populos benevolentia replevit. Infidelis, inconstans, et ingratus, sanctissimas obligationes gratitudinis, honestatis, et humanitatis consecravit injustae suae diffidentiae, et singularitati gu-

stus sui. Magna pars Asiae, Africae, et Europae, ab Asia usque Indias erat ejusdem armis subjecta. Imposuit idem Imperatrici Irene pergrave tributum, et Imperatorem Nicephorum sibi tributarium effecit. Octo Victoriae, quas ipse in persona retulit, artes et scientiae, per eum excitatae, et protectis eruditorum nomen ejus perenne reddiderunt. Carolus Magnus erat unicus aevi sui Princeps, qui cum eodem comparari dignus est. Aaron dedit ei dono horalogium sonans, quod illa aetate pro miraculo habebatur, dicitur plane sepulchrum Christi eidem cecidisse, cujus vexillum, et claves Patriarcha ipsi tradiderat. Eodem regnante Arabes numeros Indicos detulerunt in Europam, qui romano rum Instar adhibebantur. Obiit A. 809 post Christum natum, et A. regiminis 24. Adeo erat pius Muselmannus, ut dum Calif fuisset, Octi s Meccam peregrinatus sit. Dum ipse amplius eo peregrinari non posset, solvit 300 pios peregrinatores. Pauperibus multam stipem distribuit, et per diem centies genuflectere solebat.

Memento mori.

Mors praterito anno multos Illustres viros ad aeternitatem evocavit. Utpote Gen. Hautpout, Gen. Gardanne, Generalem Victor Berhier, General Schmettau, Ducem Brunsvicensem, Ministros Portalis et Breuil. Astronomum Lalande, Cardinalem Eboracensem, Principem Borussiae Ferdinandum ad Jenam, Gen. Michelson, Paoli in Corsica, etc. Mulieres. Imperatricem Austriae, Ladi Craven, Marchionissam Anspach, Dominam Lafayette, Angelicam Kaufmann etc. Ubi sunt Dominatus omnes? Bene habuit Mendicus de Siena Morana, qui Medico Sangrando, qui eidem regnum caeleste promittebat, in faciem dixit. Malle se ut mendicus vivere, quam ut Rex mori.

Diarium Politicum.

Circa emigrationem Regentis Portugalliae observant Politici, si bellum maritimum diutius duret, in continente Europae dispariturum aurum et argentum, si Hispani ex Peruvia nullum advehant, cum Continens paucas fodinas habeat, et quotannis magna pars ad artefacta convertatur; hinc recurrendum erit ad pecuniam chartaceam. Etiam adamantes erunt rariores, quia Aula portugallica, quae plurimos habuit, cum thesauris suis Europae valedixit. — Londini consilium Status multum deliberat, quo stilo belli declarationem contra Russos apponere debeat. — Ex raptis navibus Danicis peculiaris formatur expeditio, sed quorum? adhuc incertum est.